









DISPUTATIO JURIDICA, 3  
INAUGURALIS

DE 1690,1

PIGNORIBUS  
ET HYPOTHECIS.

QVAM

AUSPICANTE DEO TRIUNO  
SUB AUSPICIIS ET PRAESIDIO.

PRÆ-ET NOBILIVM CLARISSIMORVM CONSULTISSIMO-  
RVMQVE VIROVM AC DOMINORVM,

D. VVILHELMI KLEY J.U. Licentiati & Professoris  
Ordinarii, & Juridicæ Facultatis Dictatoris, 4

Nec non

D. JOANNIS NABBEN J.U. Doctoris & Professo-  
ris Ordinarii, ejusdemque Facultatis Filci.


In alma Vniversitate Coloniensi publicè  
Oppugnandas proponit,

MARTINUS HENRICUS Draenstorff Coloniensis,  
Author & Defendens die 7 Maii horâ & loco consveto.



Coloniæ Agrippinæ, Typis PETRI THEODORI HILDEN, Ven. Facult.  
Juridicæ Typographi jurati & Ordinarii, Anno 1690.







PERILLVSTRI ET GENEROSO  
DOMINO,

D. PHILIPPO WILHELMO  
LIB. BARONI DE NESSELRATH,

DOMINO IN ERESHOVEN, WECKBERCK,

THUMB, ET WELTERATH,

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORALIS

PALATINI CONSILIARIO INTIMO

DUCATUS MONTENSIS MARESCALLO

ET

SATRAPÆ IN STEINBACH,

DOMINO MEO

LONGE

GRATIOSISSIMO.

Perillustris, Generose Domine,



*Debitor securitati creditoris volens prospicere datis  
pignoribus & hypothecis debiti solutionem cer-  
tam facit. Perillustris & Generose Domine me  
& unà mecum familiam totam, cui tot favores  
& beneficentia argumenta credidisti, debitorem  
esse tuum, lubens confiteor: quare in agnitionem*

) ( 2

*debiti*

THE



debiti creditique securitatem apud Te pignus aliquod deponere cogitavi: at quod pignus offeram creditori meo, & Domino gratiosissimo? cum aliud non habeam, & probè nôrim fortunæ bona valorem debiti non adæquare, ipsamque fortunam possuisse Te supra fortunas omnes meas, ego laboris mei primitias, has videlicet, quas de pignoribus & hypothecis publicæ disputationi subjicio, theses ad gratiosas manus tuas velut quoddam grati animi pignus depono, eamque mihi legem in hoc pignoris contractu dico, quod me Tuis & Perillustris Familiæ tuæ ministeriis totum devoceam. Pignus est, fateor, exiguum & debito contracto omninò impar, gratum tamen fore confido, quia viribus meis æquale, qui plus quàm me ipsum præstare non possum. Divina Bonitas Perillustrem & Generosam Dominationem tuam Suis, Mihi, pluribusque aliis ad Nestora usque tempora servet incolumem.

Ita vovet

Perillustri & Gratosissimo Domino suo

Servus Humillimus

MARTINUS HENRICUS DRAENSTORFF  
Colonienfis.

THE-





T H E S I S I.



**V** igitur ab Etymologiâ pignoris ordiar ; pignus dicitur à pugno *l. 238. §. pignus ff. de verb. oblig.* cum res quæ pignori datur, pugno seu manu traditur, *d. §. pignus*, & hoc respectu differt ab Hypothecâ, quæ propriè accepta ejus rei est, quæ nudâ conventionē obligatur, possessione apud debitorem remanente, *l. 9. §. 2 ff. de pign. act.* quanquam alias quoad actionem Hypothecariam jus æquè forte in ambobus lateat; quo respiciens Martianus, pignus, & hypothecam tantum nominis sono differre respondit in *l. 5. §. inter ff. de pign. & Hypot.*

II.

**P**ignoris vocabulum generaliter sumptum varias habet significaciones, sumitur enim interdum pro re ipsâ, quæ pignori obligatur *ut l. 3. ff. de pign. act.* nonnunquam pro jure creditori in re alienâ constituto, *ut in l. 1. §. 1. & 2. ff. de pign. act.* & denique etiam pro conventionē, quâ res debitoris pignori supponitur, *ut in l. 1. & ult. ff. de pactis*, & hâc ultimâ significatione rectissimè definitur.

III.

**P**ignus est contractus, quo creditor jus in re consequitur in securitatem sui debiti: dividitur à causâ efficiente & à subjectâ materia,

A

teria,



teriâ, à causâ efficiente dividitur in expressum & tacitum, expressum constituitur ultimâ voluntate seu jussu testatoris, *l. 26. ff. de pign. act.* vel actu inter vivos, idque vel mutuâ partium conventionem, *l. 1. ff. de pign. act.* vel magistratus autoritate, hoc casu dividitur in prætorium & judiciale, illud constituitur decreto prætoris seu magistratus extra judicii strepitum ob non factam solutionem debitoris vel ejus contumaciam *Tot. Tit. Cod. de prat. pign. & Tot. Tit. ff. quib. ex caus. inposs.* hoc capitur jussu magistratus in causam judicati aut sententiæ judicialis executionem *Tot. Tit. Cod. si in Caus. Jud. pign. Cap.*

IV.

**T**Acitum pignus cum *Bachov. ad Tr. Disp. de pign. Th. 2. lit. A.* duplex statuimus, unum quod constituitur solâ lege uti fisco in bonis debitorum ex causâ tributi, *l. 1. Cod. in quib. caus. pign. tac. contr.* ut & ex causâ primipili, *l. 4. Cod. eod. Tit.* nec non ex causâ contractus, non aliter tamen, nisi in bonis post contractum cum fisco initum acquisitis, *l. 2. Cod. eod. Tit.* pupillo & minori in bonis tutorum & curatorum ratione administrationis *l. 20. Cod. de adm. Tut.* ut & in rebus pecuniâ ipsorum emptis, *l. 3. ff. de reb. eor. quæ sub Tut. vel cur.* filiofamilias ratione administrationis peculii adventitii in bonis paternis, *l. 6. §. ult. Cod. de bon. quæ lib.* denique liberis prioris matrimonii in bonis parentum ad secunda vota transeuntium *l. 8. §. 4. Cod. de secund. nupt.*

V.

**E**Adem ratione tacitum pignus constitutum est uxori in bonis mariti pro restitutione dotis, *l. unic. Cod. de rei uxor. act.* item  
 lega-



legatariis & fideicommissariis pro legatis & fideicommissis consequendis in bonis testatoris *l. 1. Cod. Comm. de leg.* denique & creditori in ipso ædificio pro mutuata pecuniâ in ejus refectionem, *l. 1. ff. in quib. caus. pign. Tac. Contr.* non extendimus dictum tacitum pignus ad eum, qui in refectionem navis credidit moti specialitate textus *Dict. l. 1.*

VI.

**A**lterum quod constituitur tacite facto hominis assentiâ tamen legis, quale habet dominus in illatis & in vectis in prædium urbanum pro pensione & deterioratione rei locatæ *l. 2. ff. in quib. Caus. pig. Tac. Contr.* non aliter tamen, nisi perpetuò ibi mansuræ sint, unde dubitabatur de mercibus in domum conductam illatis, anne & hæ obligatæ sint? *Angel. & Jason. in §. item serv. 7. Inst. de act.* non esse obligatas defendunt, verum quo minus eorum sententiæ subscribam, movit me Textus *l. 34. ff. de pign. & Hypot.* dicta de illatis in prædium urbanum nolo extendi ad illata in prædia rustica *Neguz. Trac. de pign. memb. 4. part. 2. Num. 145.* adeo ut nec nuda scientia Domini ad horum oppignorationem sufficiat, *Arg. l. 4. ff. in quib. Caus. pign.*

VII.

**A** Subjectâ materiâ dividitur Hypotheca in generalem & specialem, generalis non tantum comprehendit præsentia, sed & futura *l. 1. in pr. ff. de pign. & Hypot.* exceptis tamen illis, quæ verosimiliter præsumimus non fuisse quemquam specialiter obligaturum *dict. l. 6.* vel propter usum quotidianum ut suppellectilem, vestes *dict. l. 6.* vel propter affectionem, ut concubinam, liberos natu-

A 2

rales,





rales, l. 8. ff. dict. Tit. non excluditur hac obligatione generali fundus emphyteuticus l. 31. ff. de pign. § Hyp. nec nomina & jura, argum. l. 143. de verb. sign. an autem obligatione mobilium & immobilium contineantur & jura & actiones? ajo cum Bachov. ad Tr. Disp. de pign. Th. 2. lit. D.

## VIII.

**S**pecialis non tantum in re aliquâ particulari, sed & in corpore universalis subsistit l. 13. ff. de pign. § Hypot. hac Hypothecâ continentur etiam per consequentiam advenientia, l. 18. §. si nuda ff. de pign. act. cuiusmodi est alluvio, partus pecorum, fructus prædiorum, ususfructus proprietati accedens, l. 18. §. 1. ff. de pign. act.

## IX.

**P**roximum nunc est videre de iis, qui oppignorare possunt, & quæ res oppignorari possint vel non; oppignorare possunt, quicumque rerum suarum, vel alterius patrimonii liberam habent administrationem, hinc Domini, & qui Dominorum loco sunt, ut procuratores ad hoc vel specialiter mandati, vel universorum bonorum administrationem tenentes l. 11. §. ult. cum seqq. ff. de pign. act. item administrator civitatis vel reipublicæ pro ejus debito l. 11. ff. in pr. de pign. § Hyp. ut & tutor vel curator res minorum casu quo in eorum utilitatem pecuniam accipit, l. 16. in pr. ff. de pign. act. his consequens est pupillum & minorem, similesque personas absque tutoris autoritate vel curatoris consensu, res suas pignori vel hypothecæ dare non posse, l. 1. in pr. quæ res pign. oblig. pos.

## X.

**P**ignori aut hypothecæ dari possunt res omnes, quæ emptionem & ven-



& venditionem recipiunt , l. 9. §. *emptionem ff. de pign. & Hyp.* & quæ in pignoris bonis sunt, hinc & ea non solum, quæ de facto existunt, sed & quæ futura quandoque sperantur, hujusmodi sunt fructus nascituri, foetus pecorum, partus ancillarum l. 15. ff. *de pign. & Hyp.* nomina debitorum quoque alteri obligari possunt, l. 13. §. *cum pignus ff. de pign. act.*

XI.

**S**ervitus personalis, ut usufructus rectè oppignoratur l. II. §. 2. ff. *de pig. & Hyp.* ane & prædiales? distinguimus inter urbanas & rusticas, atque illas quidem indistinctè non posse oppignorari resolvimus l. II. §. *ult. ff. de pign. & Hyp.* sed nec rusticas, siquidem jam sunt constitutæ, ubi autem adhuc sunt constituendæ, oppignorationem admittere videntur. *Vinn. in select. lib. I. Cap. 32.*

XII.

**I**nter res oppignorari prohibitas, quædam naturâ tales sunt, ut liber homo, res sacræ, religiosæ, sanctæ, §. 7 *inst. de rer. divisione*, quarum pignus nec tractu temporis convalescere potest, adeo ut conditionaliter etiam conceptum, ne quidem existente conditione valeat *argum. l. 34. §. liberum ff. de Contr. emp. & vend.*

XIII.

**Q**uædam propter prohibitionem legis oppignorari nequeunt, ut fundus dotalis Tot. Tit. ff. *de fund: dotali*, res litigiosæ l. I. §. *ult. ff. quæ res oppig.* res minorû casu quo in rem curatoris aut alienam oppignorantur, l. 16. ff. *de pign. act.* spes præmiorum futuræ victoriæ l. 5. *Cod. quæ res pign.* feudum absque consensu Domini directi, Tit. 55. §. 52. *lib. 2. feud. instrumenta ad agriculturam perti-*



mentia, l. 8. Cod. quæ res pign. subjecta restitutioni fideicommissariæ,  
l. fin. §. Cod. Comm. de leg.

XIV.

**E** Adem ratione res aliena oppignorari non potest Tot. Tit. Cod.  
si res alie. pign. data sit. casu quo vero debitor rei alienæ pigno-  
ri datæ postea Dominus fit, pignus non tam stricto jure, quam ex  
æquitate conualescere statuimus; daturque adeo creditori rem esse  
alienam ignorantî, non ordinaria quidem actio, sed utilis persecutio  
l. 41. ff. de pign. act. l. 5. Cod. si res alien. pign.

XV.

**A** Nne & idem statuendum sit in casu converso, quo Dominus  
rei oppignoratæ debitori hæres existit, non immeritò dubita-  
tur, & itidē non directo, & stricto jure conualescere, ex æquo tamen  
& bono utilem pignoratitiam creditori dandam Modestinus re-  
spondit in l. si Titio 22. ff. de pign. & Hyp.

XVI.

**I** Npignoris vel hypothecæ constitutione nonnunquam pacta in-  
terponuntur, quorum quædam justa & licita, quædam injusta &  
illicita, est autem inter cætera de jure civili justum pactum ut credi-  
tor fructus lucretur in locum legitimarum usurarum, quæ species  
AVTIXHNOIS vocatur l. 17. Cod. de usuris, pactum vero legis commil-  
foriæ ut iniquum & bonis moribus contrarium rejicimus cum Ne-  
guz. Tract. de pign. part. 4. Num. 2.

XVII.

**A** Nautem hoc pactum per indirectum valere possit? an jura-  
tum? an ex intervallo adjectum? an cum fidejussore initum  
casu



casu quo intra tempus præfixum non fuerit liberatus ? intricatæ quæstiones sunt, nos per omnia dissentimus cum *Bachov. ad Tr. Disp. de pign. Th. 6. lib. D.*

XVIII.

**D**E pignoris & hypothecæ constitutione diximus hæctenus, reliquum est, ut de effectu dispiciamus: qui vel consistit in exceptione, vel in persecutione, vel in distractione : hæc exceptio creditori prodest ad retentionem pignoris ratione impensarum in rem factarū *l. 8. in pr. de pign. act.* prodest & eidem creditori ad removendum debitorem exceptione doli mali ratione alterius debiti, quamvis chyrographarii *l. un. Cod. etiam ob chirog. pec.*

XIX.

**C**irca pignoris persecutionem tria introducta sunt remedia, actio serviana, §. 7. *instit. de act. quasi serviana*, quæ & utilis Hypothecaria dicitur, *d. §. 7.* & interdictum salvianum §. *adipiscendæ* 3. *vers. interdictum quoque inst. de interd.*

XX.

**S**erviana est actio prætoria *Dict. §. 7. inst. de act. realis, l. 17. ff. de pign. & Hyr.* qua experitur locator de rebus coloni, quæ pignoris jure pro mercedibus fundi ei tenentur, *d. §. 7.* ut autē huic actioni locus esse possit, requiritur non tantum præcessisse locationem, sed & ex parte actoris quo ad res illatas expressam conventionem *l. 5. Cod. in quib. Caus. pig. Tac. Contr.* (quanquam in fructibus secus reperiatur) ex parte rei vero moram in solvendo aut fundi locati deteriorationem.

XXI.

**Q**uasi serviana ad exemplum servianæ introducta itidem est actio.



actio prætoria, *dict: l: 17.* realis, qua creditores contra quemcunque possessorem (excusso tamen prius debitore, fidejussore, *Auth: hoc si debitor Cod: de pign: & hyp:*) res sibi pignori, sive generaliter, sive specialiter, sive tacite, sive expresse obligatas non tantum inquilini, sed etiam quasvis alias persequuntur *Dic: §. 7.*

XXII.

**S** Alavianum interdictum est, quo utitur Dominus fundi, ad res coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigisset adipiscendas, *Dict: §. adipiscenda,* de quo ita statuendum, vel quaeritur de ipso debitore, vel de alio possessore, contra illum datur omnimodo, vel directe, si sit Conductor prædii rustici, *Dict: §. 3.* vel utiliter, si ex aliâ causâ debeat, contra hunc datur utiliter, si res ex causâ locationis fuerit obligata, & à conductore ad eum pervenerit, *l: 1. ff. de salu: interd.*

XXIII.

**U**ltimus & principalis effectus consistit in distractione rei pignori obligatæ, *Tot: Tit: ff. & Cod: de distr: pign:* quæ creditori permessa est sive de hac convenerit, sive non, *l: 4. ff: de pign: act:* quinimo etsi convenerit ne pignus distrahere liceat, distractio nihilominus procedit, modo non fiat ante extremam moram, quam ponit trina denuntiatio, *l: 4. cum seq: ff: de pign: act:* casu autem quo simpliciter de pignore vendendo conventum, unam denuntiationem sufficere arbitror *Dict: l: 4. idem & statuendum si nihil conventum sit de distrahendo, l: fin: §. 1. Cod: de Iure Dom: Impetr.*

XXIV.

**D**enuntiationes autem istas non simul ac semel fieri oportet, sed inter eas intervallum non minus decem dierum intercedere debet



re debet *Argum: l. ad peremptorium 68. cum seq: ff: de Iudiciis, alii tamen id tempus arbitrarium statuunt.*

XXV.

**A**Ntequam autem ad rerum oppignoratarum distractionem (quæ bonâ fide & solenniter *l. 4. l. 9. Cod: de distr: pign:* palam publico proposito programme fieri debet) perveniatur, requiritur decursus biennii à die factæ denuntiationis, aut prolatae sententiæ, *l. ult: §: 1. Cod. de jur: dom: impetr:*, pignore ita solenniter distracto & traditione subsecutâ emptor fit dominus, omneque offerendæ pecuniæ jus debitori perimitur, *l. 18. Cod: de distr: pign:*

XXVI.

**C**Afu verò, quo creditor pignus vel hypothecam distraxerit hoc pacto, ut liceat sibi reddere pecuniam, & pignus recuperare, an ne debitor reddendo pecuniam rem oppignoratam consequi poterit? rectè quidem distractum esse pignus, cæterum agi posse cum creditore ut actiones, quas habet, debitori cedat, respondet Martianus in *l. 7. D: de distr: pign:*

XXVII.

**S**In autem res oppignorata legitimè venum exposita emptorem non inveniatur, nec debitor debitum solvat, creditoris est à principe petere, ut eam sibi jure domini possidere liceat, *l. ult: Cod: si in caus: judic: pign: cap:*, quo obtento restat debitori adhuc biennium à die additionis domini numerandum, ad offerendum debitum cum usuris & damnis; lapso vero biennio, dominium irrevocabile creditori acquiritur, *l. 3. §: 3. Cod: de jur: dom: impetr: nisi & interea usuras crediti sui receperit. l. 2. Cod. dict: tit:*

B

XXVIII.



XXVIII.

**P**ignoribus sic vel absque conventionem vel ex pacto distractis, vel alio modo venditis creditores omnes simul concurrunt, ut alter alteri non præferatur, nisi ob prærogativam temporis, vel speciale beneficium à lege concessum, siquidem vel concurrunt Chirographarii soli, & hi pari jure censentur, aut cum iis Hypothecarii & hi illis præferuntur, *l. 9. Cod. qui pot. in pign.* pluribus verò Hypothecariis concurrentibus, hi itidem pari jure censentur, nisi inter hos quidam tempore priores existant, quo casu succedit communis regula, qui prior tempore, potior est jure, quam regulam ad quodcunque pignus extendimus *tot. tit. cod. qui pot. in pign.*

XXIX.

**H**anc prioritatem non agnoscimus, nisi à tempore constituti pignoris, *l. 8. C. qui pot. in pign.* Undè dubitatur de casu, quo sub conditione de hypotheca convenerit, pendente autem conditione res secundo obligata sit, & post hanc secundam obligationem conditio extiterit; sic statuimus, si fuit talis conditio, quæ non nisi volente debitore impleri poterat, & secundus potior erit, quod si vero ea fuerit conditio, quæ etiam eo invito impleri poterat, primus erit potior in hypotheca *l. 9. ff. qui pot. in pign.* priorem quoque statuimus secundum creditorem, qui offert primo creditum ratione cujus hypotheca constituta, vel eo recusante ob signatum deponit. *l. 5. de distr. pign.*

XXX.

**N**unc de iis, qui ob singulare privilegium à lege concessum præferuntur, & hi sunt in duplici differentia, quidam privilegium

um



um absque hypotheca habent, quidam cum hypotheca, & inter hos primum locum sibi vindicat mulier ratione dotis, in tantum, ut eam non solum anterioribus tacitam, verum & expressam hypothecam habentibus præferri statuamus, *Fachin. lib. 10. cap. 35.* moti textu generali *L. Assiduis Cod. qui pot. in pign.* idem dicimus de ejus liberis, secus de aliis heredibus, in exigenda autem donatione propter nuptias concedendo tacitam hypothecam privilegium ei denegamus. *l. ubi Cod. de jur. dot.*

XXXI.

**G**Audet & dicto privilegio fiscus ex causa tributi & primipili, nec non contractus, illis casibus eum non tantum anterioribus creditoribus, verum & ipsi mulieri ratione dotis volumus præferri *l. 4. Cod. in quib. caus. pign. tac.* hoc casu non aliter nisi in bonis post contractum cum fisco initum acquisitis, *l. 28. de jur. fisc.* ita tamen ut in poenarum exactioibus aliis creditoribus postponatur, *l. 17. de jur. fisc.* & posteriori creditori succedens eo jure utatur, quo is cui succedit, usufructus erat *l. non intelligitur §-7. ff. de jur. fisc.*

XXXII.

**A** Nne in dubio fiscum privato, an è converso fiscum præferemus? quamvis *Neguz. ant. de pign. part. 2. memb. 4. Num. 118.* hic distinguere conetur inter causam onerosam & lucrativam; nos tamen ut hoc casu indistincte privatam fisco præferri tueamur movit nos generalitas Textus *l. non puto ff. de jure fisci.*

XXXIII.

**H** Abent & dictum privilegium minores & pupilli in bonis tutorum & curatorum propter eorum administrationem *l.*



*ult. ff. de Tut. Et rat. distr. ut & in re pecuniâ eorum emptâ l. 3. ff. de reb. eorum qui sub Tut. nec non ii qui in rem reficiendam vel conservandam crediderunt, non aliter tamen nisi expressè paciscendo de pignore sibi prospexerint l. 7. Cod. qui pot. in pign. quod tamen non requiritur in eo qui ad refectionem ædificii credidit l. 1. ff. in quib. Caus. pign. is quoque qui redemit servum hostibus l. 12. §. 12. ff. de capt. Et post. revers.*

XXXIV.

**E**Um, denique qui instrumento publicè confecto nititur aliis privatum instrumentum habentibus præponi tuemur, nisi & hoc trium integræ opinionis virorum subscriptiones manifestaverint, ut & ille, cujus pecuniâ prædium fuit comparatum ipsique, ut specialiter obligatum esset, convenit. l. 7. Cod. dict. tit.

XXXV.

**S**peciali privilegio absq; hypotheca gaudet (1.) Respublica l. 38. §. 1. de reb. auct. jud. poss. (2.) Sponsa agens ratione dotis l. 17. §. 1. d. tit. (3) is qui in rem emendâ credidit l. 26. d. tit. (4.) deponēs ratione depositi modo usuras non acceptaverit l. 7. §. pen. cum l. seq. ff. deposit. (5) is qui in impensas funerum credidit, adeo ut hic quoscunq; privilegiatos antecedit, etiam mulierem ratione dotis agentem *Facin. lib. 12. cap. 49. l. 45. ff. de relig. Et sumptib. fun.*

XXXVI.

**R**estat nunc de solutione pignoris pauca exponere, solutionem plenam operatur luitio pignoris, quâ non tollitur tantum actio personalis principalis, sed & pignoris accessoria l. 6. in pr. ff. quib. mod. pign.; adeo ut creditor non tantum à debitore, verum & ab alio



alio tertio quocunque suum recipiens ulteriore acione destituatur  
*Fachin. lib. 11. cap. 13. l. 12. § 2. ff. quib. mod. pign. non aliter ta-*  
 men nisi integro debito soluto.

XXXVII.

**Q**uid ergo si injustum possessorem creditor hypothecariâ con-  
 veniat, ane & ab hoc oblatione sui crediti repelli se patietur?  
 affirmamus moti *l. 12. §. fin. ff. quib. mod. pign.* quo casu creditorem  
 huic injusto possessore nec actiones quas habet cedere cogendum es-  
 se defendimus Argum. *l. 9. ff. qui pot.* nuda vero oblatio debiti so-  
 lutionem pignoris non operatur, sed adjunctâ obfignatione & de-  
 positione *l. 6. Cod. de usuris.*

XXXVIII.

**S**atisfactio quoque solutionem plenam operatur *l. 6. ff. quib.*  
*mod. pign. vel hyp.* sive illa fiat de sorte, sive de pignore, de sor-  
 te satisfacimus omnibus modis, quibus creditore suum recipiente  
 liberatur debitor *l. 9. §. omnis ff. de pign. act.* liberatio autem vel  
 contingit ipso jure, ut interveniente novatione voluntariâ *l. unic.*  
*Cod. etiam ob chirograph. pecun.* vel per exceptionē ut intervenien-  
 te vel pacto vel jurejurando *l. 5 §. fin. ff. quib. mod. pign.* de pignore  
 satisfacimus creditori, ei alia pignora vel fidejussores loco eorum  
 surrogando *l. 5. §. 2. ff. quib. mod. pign.*

XXXIX.

**L**iberationem præterea à sorte & consequenter à pignore indu-  
 cit redditio chirographi debiti principalis *l. 2. ff. de pactis.* ane  
 & idem dicemus in casu, quo creditor super unâ eâdemque sorte  
 plura chirographa habens, horum unum reddat? affirmant qui-

B. 3.

dem





dem *Bart. & Bald.* & alii quos novissimè secutus est *Bach.* in *tit. de pactis*, nos tamen horum sententiæ subscribere non possumus *Arg. l. pluribus fin. ff. de his quæ in test. del.*

XL.

**R**editio pignoris obligationem principalem non dissolvit, quamvis liberationem à pignore operetur *Arg. l. 3. ff. de pactis*, idem dicimus in casu, quo creditor expressè consentit in venditionem aut quamcunque pignoris alienationem *l. 7. l. 8. §. 6. ff. quib. mod. pign.* fecus vero consentiendo in oppignorationem, quamvis & hoc casu jus prælationis ei denegemus *Bachov. ad. Tr. d. D. de pign. th. 9. lit. e.*

XLI.

**Q**uid si provifus hypothecâ legali, deinde in eadem re expressâ hypothecâ sibi provideat, an per hoc tacitè priori legali renuntiaverit, itidem negamus cum *Bachov. ad. Tr. dic. Disp. th. 9. lit. D. evincit Argum. l. 6. §. fin. ff. quib. mod. pign. vel hyp.*

XLII.

**S**oluto itaque prædictis modis debito incipit pignus sine causa esse penes creditorem, unde nolens reddere convenietur actione pignoratitia *l. 9. §. pen. ff. de pign. act.* quæ quidem actio duplex est directa & contraria, illa datur debitori ad rem pignoris nexu liberatam, restituendam, nec contra alium, quàm creditorem datur, ad differentiam actionis hypothecariæ, venit item in hac actione quidquid nomine deteriorationis vel interitus rei, dolo vel latâ vel levi creditoris culpâ debitori abest *l. 14. ff. de pign. act.* venit & pretium ex distractione pignoris superfluum, & quidem cum usuris in casu



casu, quo vel creditor eo usus est, vel moram in eo reddendo comiserit *l. 6. l. 7. ff. de pign. act.*

XLIII.

**P**ignorantia contraria datur creditori adversus debitorem ad restitutionem impensarum in rem factarum *l. 8. in pr. ff. de pign. act.* nec non damnorum v. g. si servus furtivus aut pecus morbosum pignori datum sit, quamvis ab ignorante *l. 16. §. 1. l. 13. de pign. act.* similiter adversus illum, qui qualitatem rei aliter esse, quam in se sit affirmaverit *l. 1. in fin. dict. tit.* aut qui dat in pignus rem vel aliis venditam vel oppignoratam *l. 16. §. 1. ff. de pign. act.*

PRO CORONIDE.

I.

**A**N creditor ratione pignoris distracti de evictione teneatur?   
 negamus.

II.

**A**N resolutio jure emptoris per remedium *l. 2. Cod. de rescind. Vend.* & pignus interea impositum evanescat? itidem negamus.

III.

**A**N juri luendi pignoris possit praescribi? intrepidè asserimus.

F I N I S.



... quod ...

... dicitur ...

PRO COLOMBIA

... dicitur ...

... dicitur ...

... dicitur ...

PRO ...

... dicitur ...





Köln, Diss., 1629-1787

ULB Halle

3


006 793 150



TA → OL











B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO JURIDICA, 3 ↑

INAUGURALIS

DE 1690,1

PIGNORIBUS  
ET HYPOTHECIS,

QVAM

AUSPICANTE DEO TRIUNO  
SUB AUSPICIIS ET PRAESIDIO.

*PRAE-ET NOBILIVM CLARISSIMORVM CONSVLTISSIMO-  
RVMQVE VIRORVM AC DOMINORVM,*

D. VVILHELMI KLEY J.U. Licentiati & Professoris  
Ordinarii, & Juridicæ Facultatis Dictatoris, 4

Nec non

D. JOANNIS NABBEN J.U. Doctoris & Professo-  
ris Ordinarii, ejusdemque Facultatis Filii.

In alma Vniversitate Coloniensi publice

Oppugnandas proponit,

MARTINUS HENRICUS Draenstorff Coloniensis,  
Author & Defendens die 9 Maii horâ & loco consueto.



Coloniæ Agrippinæ, Typis PETRI THEODORI HILDEN, Ven. Facult.  
Juridicæ Typographi jurati & Ordinarii, Anno 1690.